AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM THOMAM MAVROCENVM VERONÆ PRÆTOREM.





VERONÆ,
Apud Hieronymum Discipulum,
M D LXXXVII.



QVÆ per varios ætheris ambitus
Geſtas Muſa volans facta potentium,
Pennis purpureis ſcandere geſtiens
Vſque ad lucida ſidera;
Diuum & concilijs, atque adhibes ſacris
Menſis, conſpicuos gloria laudibus
Quos tollit celebris, nectit & aureis
Sertis magnus honor caput.
Non rixas Lapithum ſanguineas, neque
Vt prolem Danai torqueat horrida
Frendens Tiſiphone carcere ſquallido
Inferni recinas caui.
Non & terrigenum ſacrilegas manus,
Quas iam pertimuit Iuppiter igneis
Deſertis domibus, dum ſuperis parant
Sæui bella minacia.
Mecum ſed cythara concine eburnea
Dulcis Muſa virum, quo melius videt
Nil Sol, ſiue micans ſurgat ab æquore,
Seu ſe condat in æquore.
Aſt vnde incipiam carmine tollere
Laudes egregias præſidis optimi?
Quis digne poterit dicere Leſbio
Plectro tam celebrem virum?

Qui tot præcipuis dotibus emicat,
Quot cœlum radians ignibus aureis,
Phœbi clara soror cum latet æthere
Pleno sideribus vagis.
Cuius præsidijs prata perambulans
Virgo tuta rosas crinibus implicat,
Nec tangi metuens lactea lilijs
Ornat pectora candidis.
Cuiusq; auspicijs rusticus ingerit
Large ligna foco, nec vigiles manus
Latronum trepidat, gramineo in thoro
Mercator pauidus cubans.
Nunc Pax arua colit, mundaq; Veritas,
Nunc & diuitibus copia cornibus
Tetris e tenebris prosiliens, agros
Reddit frugibus vberes.
O' salue superum maxima prouidum
Cura, ò progenies inclyta, nobilis
Salue, ò salue iterum, Nestoris & dies
Viuas Italiæ decus.
Te clarum celebrant maxima stemmata
Illustris generis, summaq; gloria
Insignis patriæ, cui dedit Adriæ
Nereus imperium maris.

Sed

Sed Fas, & Pietas, Relligio, almaq́;
Virtus condecorant, promeritum choro &
Addit Semideum candidior Fides
Dulcis iuſtitiæ parens.
Sed quid, Dedalei non memor Icari
Vates, aggredior ſingula dicere?
Ceſſa Muſa leuis, viribus ingeni
Hæc non conueniunt tui.

AD EVNDEM.

SALVE grande decus Venetum, certiſsima proles
Heroum, cui ſemper adeſt cum Pallade, Phœbus;
Et quem fert volitans auratis Fama per orbem
Pennis, concilio atq; adhibet, menſisq́; Deorum:
Illa ego, quæ terras per te inculpata reuiſo,
IVSTITIA, hac querna cingo tua tempora fronde,
Et primos patriæ titulos, cum venerit ætas,
Nuntio certa tibi. Tunc aurea ſecula mundo
Naſcentur, terrasq́; gemens diſcordia linquet,
Optata & veniet Pax, & Concordia cœlo.
Ac ver perpetuum, ſemper florentibus annis,
Aura feret Zephyri, ſponte & dabit omnia tellus.
Macte igitur virtute Heros, quem diligit æquus
Iuppiter.

Iuppiter, ad tantosq́ vocant bona fata triumphos,
Æternum salue, præstes vt munera pacis
Æterna, & redeant iterum Saturnia regna.
Tu interea Verona tuo gratare parenti,
Et meritos titulos, & candida marmora quære.

AD EVNDEM.

QVOD *fuerit iustus, quæsitor crimina discit*
Inferni, Minos creditus esse deus.
Innumeris amplum Phœbus quod dotibus orbem
Ornarit, superum regia tecta colit.
Cur tibi, cui tanta est pietas, qui fasq́, piumq́
Diligis, & nobis commoda tanta paras.
Non aras Pario statuemus marmore dignas?
Nec dabimus certi nomen habere Dei?

AD EVNDEM.

I*N syluis iactat qualis sua bracchia cœlo,*
Et pandit crines quercus amata Ioui:
Lucifer & qualis claro se tollit ab ortu,
Sideribus cunctis pulchrior ipse micans:
Tale illustre decus, talis tua gloria, THOMA,

Auratas

Auratas pennas explicat alma polo.
Teq; velit celebris vitrei trans marmora ponti, 5
Atq; ſuper nubes nomen in aſtra tuum.
Tu igitur felix, tantum cui fata dedere
Inſigni meritis promeruiſſe decus.

AD EVNDEM.

AVREA quod nobis ſub te ſint Præſide ſecla,
Quid mirum? nomen ſi tibi præbet amor.

Illuſtriſs. Dominationis Tuæ

Deditiſsimus

Petrusfranciſcus Toccolus Veronenſis